



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi Opusculum Asceticum Posthumum

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1643

15. De Veritate & Fidelitate Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46564](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46564)

here valeat. Quid enim sunt cetera omnia corā te, aut quid mihi absque tuo nutu possūt nocere? Quod si ab aliquo me affligi permiseris, hoc ipsum mihi in salutem vertas, & ad æternam vitam cooperari facias. Amen.

CONSIDERATIO XV.

De Veritate, & Fidelitate Dei.

Quatuor modis Deus dicitur *Verus, veritas, & prima veritas, i. in essendo, seu obiectivè.* Quia est primum obiectū intelligibile, in quo omne obiectum intelligibile & omnis veritas obiectiua eminenter continetur; & à quo omnis res accepit veritatem sui esse, & vt secundum suam speciem & omnes gradus essentiae vera sit, & verè talis dicatur: vt, quod hoc sit verus homo, illud verus leo, verus bos,

E iij verum

verum anrum; & sic de cæteris: sic omnium rerū veritas à Prima Veritate quæ est veritas diuinę essentię descendit. Porrò veritas obiectiua rerum præsertim actu existētiū, consistit in eo, quod natura cuiusque sit conformis ideę & conceptui diuino, secundum quem, & per quem facta est. Si verò res considerentur secundum esse possibile, vel prout abstrahunt ab esse actu, & non esse actu; sic earum veritas consistit in conformitate cū essentia diuina, quatenus ipsa tali, vel tali modo est imitabilis, seu participabilis. Hinc enim veluti ab originali omnium idea oritur ratio omnium possibilium, vt alibi ostensum est.

2. Dicitur *Prima Veritas in cognoscendo*. Veritas quidem, quia est sui ipsius & omnium rerum existētiū ac possibilium verissima, certissima, lucidissima, & eminentis-

simā

fima cognitio, & conceptio. *Prima* verò, quia ab illo omnis vera cognitio descendit tam in Angelis & hominibus, quàm in animalibus, in quibus, vltima seu infima participatio cognitionis cernitur. Deus enim per suã cognitionem & sapientiam formauit omnem vim cognoscendi, omnesque eius gradus in rebus creatis; eisque, vt veræ cognitionis aliquo modo sint participes, cooperatur.

3. Dicitur *Prima Veritas & Veracitas in dicendo*, seu, *testificando*. *Veritas* quidem, quia sicut ipse est sua cognitio, suus amor, sua *Charitas*; ita etiam est sua *Veritas*. Et ipsa veracitas quæ in hominibus & Angelis est virtus inclinans voluntatē vt semper velit dicere verum, & abhorreat ab omni mendacio: in Deo est ipsa voluntas vel essentia diuina, quatenus naturâ suâ ad veritatem dicendam infinitè inclinatur.

E iiii & infinitè

& infinitè ab omni mendacio abhorret. Vnde implicat contradictionem Deum posse mentiri, aut falsum dicere.

Prima verò & summa Veritas, seu *Veracitas* dicitur, quia virtus veracitatis in Angelis & hominibus ab ipso est, tanquam tenuis quædam participatio infinitæ illius veritatis. Vnde ipsius veracitas est prima, & summa Regula credendi, in quam ultimò nostra fides resoluitur. Ideò enim credimus Ecclesiæ, quia gubernatur, & docetur à Spiritu Sancto seu à Deo: ideò verò credimus Deo, quia est prima veritas. Primæ veritati non credimus ob aliam aliquam rationem, sed propter seipsam: ipsi enim per se, infinita fides debetur.

Hoc autem attributum supponit duo alia quibus quodammodò nititur; nempe infinitam bonitatem, & infinitam sapientiam. Ratione bonitatis

bonitatis fit, vt Deus non possit quemquam fallere, falsum ei dicendo: ratione sapientiæ, vt ipse non possit falli.

4. Dicitur *Veritas in seruãdis promissis*, quæ nihil est aliud quàm fidelitas. Est autem *fidelitas* virtus in Angelis, & hominibus inclinans ad seruanda promissa intuitu obligationis, quam promissio inducit: in Deo est ipsa essentia, aut voluntas considerata, vt suo modo ad hoc inclinatur. Vnde sicut Deus est sua essentia, suus amor, sua cognitio; ita quoque est sua fidelitas, & infinita propensio ad præstandũ quicquid promissit. Et quia per Christum omnia præstat, quæ ipse promissit generi humano; etiam Christus sæpè *Veritas* in Scripturis dicitur: sicut etiam vocatur *misericordia*: quia per ipsum Deus omnem *misericordiam*, seu *misericiordiæ effectum* præstitit hominibus.

E 5 Dicitur

Dicitur autem *Prima Veritas* secundum hanc acceptionem, quia ab ipso omnis fidelitas in Angelis & hominibus descendit, tanquam participatio quædam illius infinitæ fidelitatis.

CONSIDERATIO XVI.

De Sapientia Dei.

Sapientia & sapientia dicitur; i. ut causa omnis sapientiæ & omnis cognitionis tam parvæ, quàm magnæ in Beatis, in Angelis, in hominibus, in animalibus: nam ipsius sapientia, etiam causa est illius tenuis cognitionis, omnisque industriæ, quæ est in animalibus.

2. Formaliter dicitur *Sapientia*; i. non ut sapientiâ præditus, & imbutus, sicut mentes Angelicæ; sed ut ipsa sapientia per se subsistens, in qua omnis plenitudo sapientiæ eminent-